



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De reformatione Sacramenti

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Vicesima tertia Accusatio.

De S. Cœna Domini.

De Transsubstantiatione.

De Reformatione Sacramentorum.

CAP. LXVI.



Hæc accusatio instituta est de S. Cœna, sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Continetur autem octo capitibus.

Quorum primum est, de Transsubstantiatione, hoc est, transmutatione seu conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. In quo Aduersarij librum Reformationis accusant, ponentem, Nos communicationem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino percipere. Et dicunt librum vel- le, quod in hoc Sacramento generum diuerforum res duæ nobis: Vna, Panis & vinum: altera, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu. In contra- riam partem conantur ipsi probare, & testimoniis Scripturæ, & autho- ritate Patrum, quod in S. Cœna post Consecrationem factam non am- plius sit panis & vinum, sicut ante consecrationem fuit.

Defensio libri Reformationis ex verbo Dei.

Veris Christianis indubitatum est, Omnibus in rebus verbo Dei quàm simplicissimè credendum esse, iuxta illud & loquendum, & agendum. Iam testatur verbum Dei Domini discipulis suis benedictum ac fractum panem dedisse, sic etiam calicem, ac dixisse, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Ex quibus verbis Spiritus sanctus per Paulum inquit 1. Cor. II. *ita quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini*. Ad eundem modum loquitur, 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est*. Quo in loco rursus expressè Panis nominatur tanquam signum: & communicatio corporis Christi, tanquam id quod hoc signo traditur ac percipitur. Eandem loquendi consuetudinem imitatur liber Reformationis, in eo quod fatetur: & communicatio corporis Christi, tanquam id quod signo traditur ac percipitur. Eandem loquendi consuetudinem imitatur liber Reformationis, in eo quod fa- tetur, duas res in S. Cœna dari & accipi, Visibilem nempe, panem & vi- num: & inuisibilem, Corpus & sanguinem Domini. Rectè igitur & cum Scriptura consentaneè loquitur liber.

Solutio obiectionis deducta ex S. literis.

Contra hanc doctrinam nihil aliud adducunt Aduersarij ex S. literis, quàm hæc verba Domini, *Hoc est corpus meum, &c.* & aiunt, Domi- num non dixisse, *Hic est panis, & vinum*, aut, Cum istis vel sub istis est corpus & sanguis meus, sed, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*.

Responsio.

Responſio.

NEque etiam dixit Dominus, Hæ sunt species corporis & sanguinis mei, & sub istis speciebus latet Corpus & sanguis meus, ut Aduertarij loquuntur, qui & ipsi diuerſorum generum res duas ponunt, Vnam, species panis & vini, alteram corpus & sanguinem suum, sub, vel cum pane & vino tradere, quam sub vel cum accidentibus panis & vini. Ad hæc cum nullum miraculum sine verbo Dei ponendum sit, ut omnes à Deo docti confitentur, & spiritus S. per Paulum, non accidentia panis & vini, sed panem & vinum dicat, meritò etiam Christiani hoc modo credunt & loquuntur: nullumque ibi miraculum conversionis substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini statuunt.

Verba Domini verba sunt traditionis & exhibitionis rerum inuisibilium per visibilia signa. Eiusmodi locutiones hanc habent naturam, ut à signis quidem incipiant, sed ad id quod cum signis traditur, penitus dirigantur. Sic cum Dominus signo insufflationis discipulis suis spiritum S. daret, verba eius à signo quidem incipiunt, ceterum ad inuisibile donum Spiritus sancti omnia referuntur. Accipite, inquit, non, hunc afflatum meum, & sub eo vel cum eo Spiritum sanctum, sed dicit, Accipite Spiritum sanctum, cuiusque remiseritis peccata, remissa erunt, &c. Et tamen nemo Christianorum negat, Dominum hoc quoque loco duas res discipulis suis tradidisse: Vnam, signum halitus seu afflatus sui, alteram Spiritum sanctum, cum vel sub signo halitus.

*Locus iste
videtur
in lib de
praua
tra.*

Ad hæc ex iisdem verbis Cœnæ certissimè concluditur, quod in eiusmodi locutionibus Domini, quibus per visibilia signa diuina dona tradit, necesse sit, non eam esse sententiam, quasi signum insignatum transmutetur. Dominus enim dicit, Calix est sanguis meus, id quod nemo ita intelligit, quasi calix in sanguinem Christi conuertatur. Sic cum dicit in Luca & Paulo, Hoc poculum nouum Testamentum est, nemo est, qui calicem pro ipso nouo Testamento accipiat: sed omnes veri fideles intelligunt, Dominum vnà cum calice & potu qui in calice erat, sanguinem suum dare voluisse, ad confirmationem noui Testamenti, & non dicere Calicem vel vinum in calice, vel etiam sanguinem suum esse essentialiter ipsum nouum Testamentum.

Cum igitur ex his verbis Domini constet, Eiusmodi verba (hoc est) in talibus locutionibus, in quibus Dominus vnà cum visibilibus signis inuisibilia dona præbet: non hoc significare, quod propterea signa in res signatas essentialiter conuerti oporteat. Cumque spiritus S. per Paulum etiam post consecrationem panem & vinum dicat, tanquam signa: corpus verò & sanguinem Domini, ut dona, quæ cum visibilibus signis exhibentur, certè à modo loquendi S. scripturæ non est alienum dicere, Sub, vel Cum pane & vino corpus & sanguinem Christi dari: ab eodem verò abhorre, si dicatur, Sub vel Cum accidentibus panis & vini. Vbi enim spiritus S. dicit Panem & vinum nostrum non est ponere, Accidentia panis & vini.

Qua fuerit sententia veteris Ecclesie super hac re.

Aduersarij dicunt, Omnes Catholicos Patres verba Christi in Cœna ita intellexisse quod post Consecrationem non sit amplius panis & vinum, sicut ante Consecrationem erat.

Responsio.

Quod S. Patres isthæc Domini verba sic intellexerint, vt existimarent, post Consecrationem non amplius adesse panem & vinum, sicut ante eam, videlicet, non simplicem tantum ac merum panem & vinum, sine corpore & sanguine Domini, id certum est. S. Patres enim agnouerunt & docuerunt, quod post Consecrationem corpus quoque & sanguis Christi exhibeatur, non nuda tantum & inania signa. Quod verò propterea panis & vinum in sua natura non adsint, sed tantummodo accidentia panis & vini, id veteres Catholici Patres, neque docuerunt, imò ne cogitarunt quidem. Neque enim in hoc Sacramento essentialem, sed sacramentalem panis & vini mutationem agnouerunt: de qua Irenæus in his verbis, quæ ab Aduersariis mutila & decurtata adducta sunt, in hunc modum loquitur.

Quemadmodum panis terrenus, accepta vocatione à verbo Dei, non est amplius communis panis, sed efficitur Eucharistia, quæ constat ex duabus rebus, nimirum terrena & cœlesti: ita & corpora nostra illam sumentia, non sunt amplius corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Hæc ille.

*Sic Damas-
scenus l. 4.
c. 14. panis
communio-
nis non pa-
nis simplex
est, sed v-
nitus diui-
nitati.*

Hæc sunt integra verba Irenæi. In quibus primò notandum est, quod dicit *vocationem non inuocationem*, sicut Aduersarij hanc vocem interpretati sunt. Secundò, quod dicit, Non est amplius communis panis, non autem, Non amplius est panis. Tertiò, quod non solum dicit, Efficitur Eucharistia, sed Efficitur Eucharistia ex duabus rebus, constans nimirum terrena & cœlesti: quam appendicem Aduersarij resciderunt. Iam cum dicat Eucharistiam ex duabus rebus constare, nimirum terrena & cœlesti, quid aliud est terrena res, quàm illud ipsum quod Dominus & Apostoli dicunt esse panem & vinum. Res enim dicit, non accidentia rei sicut etiam cœlestis res hoc loco est verum corpus & verus sanguis Christi, non accidentia corporis & sanguinis Domini.

Postremò in iisdem verbis animaduertendum est, quod dicit, Nostra quoque corpora Eucharistiam sumentia, non amplius esse corruptibilia, id quod reuera nondum est, transmutatione nature nostræ: sed vt Irenæus inquit, spe resurrectionis.

Quòd si quis cauillari velit, Accidentia esse res, & quando Irenæus inquit, non est amplius communis panis, intelligendum esse corpus Domini sub specie panis, ex eo tamen quod Papa Gelasius in libro contra Eutychem & Nestorium de duabus in Christo naturis, scripsit, adeò clarum & manifestum est, vt à nemine contradici queat, Antiquam Ecclesiam de essentiali transmutatione panis in hoc Sacramento nihil penitus

penitus scripsisse. Sic enim scripsit.

Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propterea quod & per eadem diuine efficiuntur consortes nature, & tamen esse non desinit substantia vel creatura panis & vini. Et certe imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo euidenter ostenditur, hoc nobis in Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine profiteamur, celebremus & sumus, ut sicut in hanc, scilicet in diuinam transeant, sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen in sua proprietate nature: sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemque veraciter representant, ex quibus constat proprie permanentibus vnum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant.

Hic vides Christiane Lector, quomodo Papa iste veram & Catholicam doctrinam Christianarum Ecclesiarum de pane & vino in sacramento tradat. Substantia, inquit, & natura panis & vini esse non desinit. Et quamuis ibi panis & vinum per efficientiam virtutemque Spiritus sancti transeat in substantiam diuinam: permaneant tamen in sua proprietate nature. Sicut etiam in Christo Domino ambæ nature in substantia sua integra maneant, etiam si vnus tantum Christus sit, in cuius persona ambæ simul sint vnitæ. Hæc fuit Catholica doctrina & sententia de hoc sacramento temporibus huius Papæ, accepta ab initio ab Apostolis, & diligenter obseruata, qui Papa vixit anno 487.

Antiquus Doctor Tertullianus, in primo libro contra Marcionem, qui visibiles istas res ab vnico vero Deo negabat esse conditas, cum per Sacramenta probare vult, has visibiles res esse vnici ac veri Dei creaturas, inter cætera scribit, Deum panem creaturam suam non abieciisse, quandoquidem illo corpus suum representauit: non dicit species vel accidentia panis. Et lib. 4. contra eundem dicit: acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Quibus verbis declarat quomodo veteres hæc verba intellexerint quibus dixerunt, Quod Dominus panem corpus suum, vinum verò, sanguinem suum fecerit: nempe ita, quod panem & vinum fecerit figuras corporis & sanguinis sui, eas verò non inanes & vacuas, sed quibus reuera corpus & sanguinem suum præbeat.

Ad eundem modum scribit D. Cyprianus in lib. 2. Epistola 3. *In vino intelligi & ostendi sanguinem Domini*. Et August. lib. 4. cap. 10. de Trinitate inquit, *Panem esse figuram corporis Christi in Sacramento*, non dicit, accidentia panis.

Hinc igitur perspicuum est, antiquas Ecclesias de Transsubstantiatione panis & vini in corporis & sanguinem Domini, ita ut non amplius sit panis & vinum, sed duntaxat eorum species & accidentia, nihil penitus sciuisse, quin potius contrariam sententiam habuisse, nempe quod panis & vinum maneant, in sua natura non mutata.

Solutio obiectionum ductarum ex. Scriptis Patrum.

Adducunt Aduersarij quædam dicta Patrum, quæ de transmutatione panis & vini in substantiam Christi loquuntur. Ex quibus se conclusuros arbitrantur, quod S. Patres crediderint, substantiam panis & vini exinaniri vel conuerti in Corpus & Sanguinem Christi.

Responsio.

Verum non est, quemadmodum paulò antè ex Irenæo & Gelasio manifestè comprobatum est. Gelasius enim hæc ambo liberè ponit, nempe quòd panis & vinum transeat in substantiam corporis & sanguinis Christi, perficiente spiritu Sancto : & tamen nihilominus maneant in naturæ suæ proprietate ; item quòd substantia panis & vini esse non desinat.

At hoc quidem dicunt S. Patres, quòd in S. Cœna post Consecrationem non amplius sit communis panis & vinum, sed Sacramenta, per quæ nobis verum corpus, & verus sanguis Christi præbeatur, in cibum & potum ad vitam æternam. Hoc verò & Liber quoque fatetur.

Porrò quòd nōnulli ex S. Patribus scribunt, Panem & vinum mutari in hoc Sacramento, & mutari quidem in substantiam corporis & sanguinis Christi, neque huic contradicit Liber Reformationis, in eo sensu, in quo S. Patres hæc verba vsurparunt.

Quoniam enim hîc per institutionem, verbum ac virtutem Domini, ea signa, quæ ante Consecrationem nihil aliud quàm panis & vinum sunt, ac tantummodo terrenum & corruptibilem cibum subministrât, post Consecrationem sunt Sacramenta, per quæ iam cœlestem & incorruptibilem cibum percipimus, insignis certè atque admiranda mutatio ibi facta est in substantiam & essentiam Domini nostri Iesu Christi: quando quidem iam cum istis signis corpus & sanguis eius substantia eius, imò ille ipse reuera nobis exhibetur. Hanc verò Transmutationem & conuersionem S. Patres solummodo Sacramentalem, non autem naturalem intellexerunt. Neque enim voluerunt substantiam panis & vini secundum naturam in substantiam corporis & sanguinis Christi conuerti, ita vt non amplius substantia panis & vini, sed sola accidentia maneant. Spiritualis hæc & Sacramentalis actio est, in qua mentem nostram à signis, ad id quòd Deus cum signis nobis tradit, nempe ad Christum Dominum nostrum ipsum penitus dirigere & insigere debemus. Ad hoc volunt S. Patres suis scriptis & tam sublimibus locutionibus promouere, & in hunc finem tam grandi & sublimi genere dicendi vtuntur.

Quòd autem verum sit, S. Patres his verbis Transmutandi & Conuertendi non de naturali Transmutatione & Conuersione panis & vini loqui, sed de spirituali & Sacramentali : nempe quòd id quòd ibi nobis Sacramentaliter, & tanquam verum donum Domini, ad quòd omnis ista actio instituta est, perhibetur, non panis & vinum sit, sed substantia & essentia Christi, Christus Dominus ipse, id præter ea quæ paulò

ante

ex Gelasio adducta sunt, vel hinc quoque deprehendi potest. Quod S. Patres in iisdem illis locutionibus de hoc Sacramento, & cum de Transmutatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi loquuntur, eandem illam conuersionem probant ac declarant per conuersionem nostri ipsorum in substantiam Domini. Quemadmodum ex dicto Eusebii Emiseni, quod Aduersarij primo loco adduxerunt, videre manifestum est, qui inter cetera sic scribit.

Quanta itaque & quam celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur: te ipsum qui in Christo es regeneratus interroga: dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, & à salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subito initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis annouatus in Corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transfuisti. Hæc ille.

Cum igitur mutatio nostri in corpus Christi Domini, quæ per regenerationem fit, debeat nos docere, quomodo panis in corpus Christi permutetur, sicut dictus Eusebius Emisenus testatur, certè sequitur necessariò Panem & vinum iuxta sententiam S. Patrum non ita mutari, vt non amplius sit substantia panis & vini, sed tantummodo accidentia: quandoquidem transpositio nostri in corpus Christi ad hunc modum fit, vt nihilominus natura, & substantia nostra maneat, non autem permutetur, vel exinaniatur.

Quod si quis dictum Chrysostomi vrgeat, quod Aduersarij adduxerunt, in quo Sacramentum istud assimilatur ceræ quæ igni adhibita & admota, per ignem ita mutatur, vt de substantia eius nihil remaneat, monendus is erit, vt totum Chrysostomi dictum intueatur: ab Aduersariis enim mutilum adductum est. Id verò sic se habet: Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit ne sic cogites. Quemadmodum enim cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, Sic & hæc putata, mysteria consumi corporis substantia. Quare cum acceditis, ne putetis vos ab homine accipere corpus Christi, sed à Seraphim qui astet, & cum forcipe tradat vobis carbonem ignitum, quem Esayas vidit. Putate salutarem sanguinem quasi ex diuino & impolluto latere profluere, & accipite cum labiis puris & immaculatis.

Hæc sunt verba Chrysostomi, quibus non obscurum est, hunc nostrum Patrem curasse modis omnibus, vt animos communicantium à crassioribus ac visibilibus signis, ad inuisibilia dona, à pane & vino, ad corpus & sanguinem Domini meditandum euocaret. Primum dicit, Num vides panem? num vinum absit. Attamen panis & vinum videtur, quantum de illis in sensum oculorum incurrit, quod etiam Aduersarij fatentur. Verum Chrysostomus vult, mentem nostram ad eum in Christum sanguinem intetam ac defixam esse, vt nihil amplius corporeum in oculis retineat. Postea dicit, *Mysteria consumi substantia corporis, quemadmodum cera consumitur stri vulnere figimus linguam, &c.*

De Cõsec.
Dist. 2.
cap. Quis
corpus.

Hæc verba habentur in homilia Chrysostomi, quam habet de Eucharistia in Encemiis to. 5. pag. 468. in Homilia ad Antiochenos: talia habet to. 14. pag. 182. Sic Cyprianus de Cõsec. Domini: Nos cruci haremur sanguinẽ fugimus & intra ipsa redemptoris no-

ab igne. Iam verò cera igni ita assimilatur, ita in eum convertitur, ut ne species quidem cere amplius superfit, qua ratione Aduersarij ipsi non dicunt, Sacramenta à substantia corporis consumi. Postremò dicit, *Nos non debere putare, quòd corpus Christi ab homine accipiamus, sanguinem saluificum ex diuino & impolluto latere profluentem.* Quibus verbis ministrum quoque ex oculis & mentibus nostris remouere vult, quæ tamen omnia fidei opera sunt, de substantia ministri, & symbolorum nihil vltius mutantia, quam quòd hæc omnia ad fidei ministerium trahunt. Idem Pater scribens in sextum caput Ioannis hæc verba habet: Ut autem non solum per dilectionem, sed re ipsa in carnem Iesu Christi conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem iudicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, ut corpus cum capite vniretur. Similem sententiam habet super 26. caput Matth. Sic & Cyrillus loquitur in 15. caput Ioan. Item Hilarius lib. 8. de Trinitate, nempe, quòd per hoc Sacramentum Christus corporaliter, carnaliter, & naturaliter in nobis habitet, & in vnum se nobiscum redegerit. Theophilactus scribens super Marcum, inquit, *corpus Christi in panem mutari.* Item, *quòd Deus retineat species seu accidentia panis & vini: transelementet verò in virtutem carnis & sanguinis.*

Iam cùm S. Patres in iisdem locutionibus, quibus affirmant, panem in corpus Christi, & vicissim corpus Christi in panem conuerti, etiam dicant, quòd nos qui hoc Sacramentum percipimus, per illud in Christum mutemur, vnæque caro, & vnum corpus cum ipso efficiamur. Item quòd Corpus & sanguis Christi, in panem & vinum: Et panis ac vinum in virtutem corporis & sanguinis Christi transformentur, & transelemententur, quis adhuc dubitare poterit, S. Patres de nulla alia transmutatione panis & vini, in corpus & sanguinem Christi: aut, corporis & sanguinis Christi in naturam panis & vini loqui, quam, quòd cum hoc pane & vino substantia, verum scilicet & essentiale corpus & sanguis Christi nobis communicetur. In quo verò natura & substantia panis & vini in se ipsa non magis commutatur aut exinanitur, quàm essentia & natura nostra per hoc Sacramentum mutatur & destruitur.

Adhuc vnã sententiam citant ex scripto quodam de S. Cæna Domini, quòd D. Cypriano adscribitur: quæ sic se habet. *Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter ita in diuina sese insudit essentia.* Hæc ille. Hoc loco consideretur similitudo humanæ & diuinæ naturæ in Christo, quam etiam Papa Gelatus appa-
Expende similitudinem an-
 ita in Christo
 humani-
 maneat ipsa natura humanitatis. Ibi in Cypriano: *Solus filius patri consubstantialis est, reat, sili &c. nostra verò & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec unit substantias sed non autem seclus confociat & confederat voluntates.*

Suis

fius producit. Ambæ naturæ Christi ita sunt in vna persona vnità, vt vnus Christus vtrâque naturam integram & incorruptam habeat. Verum cum in terris versaretur, altera visibilis erat, altera inuisibilis. Sic etiam de Sacramento iudicandum est; Illud enim consimili modo vtrâque rem habet, cœlestem, corpus & sanguinem Domini, & terrestrem, panem & vinum, in se vnitam, hanc quidem visibilem, illam verò inuisibilem: vtrâque tamen verè, & vnamquàmque in seipsa integram minimèque permutatam. Adhuc tamen aliquo modo dici potest, panem non modò quantum ad effigiem, sed etiam quantum ad naturam ipsam in corpus Christi commutari, propterea quod ipsum essentiale Christi corpus, & non solummodo effigiem ac figuram eius in pane percipimus. Interim tamen, quemadmodum Verbum caro factum est, & vtrâque natura, diuina & humana, quælibet per se integra & inuiolata permansit, ita & hic panis caro efficitur, qui tamen idcirco panis esse non desinit. Quoniam verò per panem verum & naturale corpus Christi nobis communicatur, & non effigies vel figura panis, idè in hoc sermone dicitur, panem non effigie, sed natura mutatum esse. Et ad hunc modum S. Patres istam panis & vini in hoc Sacramento mutationem intellexerunt.

Quando igitur Aduersarij talia dicta Patrum obiciunt, concedendum est veterem Ecclesiam credidisse, quod panis & vinum in sacra Cœna in substantiam corporis & sanguinis Christi permutentur, verum sacramentaliter tantum, non naturaliter, nempe hoc modo, quod in hoc sacramento iam non substantia panis & vini (quantum videlicet ad sacramentalē istam actionem pertinet) sed substantia corporis & sanguinis Christi præbeatur, cum signis tamen panis & vini: & quoniam hoc ipsum, quod in hoc sacramento ipsum Christum Dominum percipimus, natura & essentia huius sacramenti est, non autem quod cibus ac potus corporis nobis porrigitur, cuiusmodi est natura & substantia panis, si in se consideretur, idè dicunt antiqui Patres, quod symbola ista panis & vini, non tantum quo ad effigiem commutentur, hoc est, non tantummodo vt species ac figuræ ad representandum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi proponantur: sed quod in natura sua transmutentur, hoc est, quod earum rerum, vt quæ sacramenta Christi iam sunt, alia, nempe Sacramentalis natura & substantia fit, videlicet ad naturam essentiâque Christi sacramentaliter nobis communicandam, quæ sacramentalis earum rerum natura non existerat prius.

Ad hæc omnia verò, quemadmodum permutatio nostri, quæ hîc fit, quam Patres consimili modo substantialem, & naturalem faciunt, quæ conuersionem panis & vini, vt hætenus sæpe dictum est, ad hunc modum fit, vt nihilominus natura nostra esse non desinat, sed tantum ad conuersionem ac vitam Christi erigatur & sanctificetur: & hoc iuxta sententiam Patrum consistit, quod natura & essentia panis & vini maneat, non autem deperdatur & esse desinat.

Effectum, sed virtus diuina potentius operatur.

Cyprianus in sermone de vntione chrisma-
tis non hac mendandis corporibus est vntio instituta, quia sanctificatis elementis iam non propria natura præbetur.

Concilium
Lateranense
sub Innocentio
3. Romae
celebratum
anno Domini 1215.

Iste Innocentius
in lib. de
officio
missae, super
perquestione
quale corpus
Christi dedit
in Cæna,
mortale
an immortale,

passibile an impassibile: respondet: Ego diuina sacramenta magis veneranda quam discutienda profiteor simplicitate fidei, ratus sufficere quod tale dedit quale voluit, & rursus, quale dedit ipse nouit. In fine tamen ita concludit, potest tamen salua fide concedi, quod tale tunc dedit quale tunc habuit, mortale scilicet & passibile, non quod posset pati sub sacramento, sed quod sub sacramento potuit dari. Nunc autem sumitur à nobis immortale & impassibile, nec tamen maiorem nunc habet efficaciam, sicut nec maiorem potestatem, &c. Quaedam harum marginalium notarum à pontificio supposita sunt, proinde auctori non adscribenda: qualis & hac est.

Quod si quis datam vocabuli (transsubstantiatis) explicationem, quo Concilium Innocentij utitur, iuxta intellectum antiquorum admittere nolit, sed velit ad figmentum scholasticum referre, huic respondendum est, Concilio non licere nouos articulos fidei condere, sed tantummodo traditos iam declarare & confirmare.

De verbis Domini secundum Lucam, Serm. 29.

Hæc sententia in primitiuo exemplari antidiagramatis vernacula lingua conscripta, perperam citata erat, ab interprete verò eius plenè est restituta.

Augustinum quoque adducunt Aduersarij, quamuis perperam, sic enim sonant verba eius, ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur: ubi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus Domini appellatur. In quibus verbis non legitur id, quod Aduersarij posuerunt, iam non amplius panis reputatur: sed, iam non panis dicitur, sed corpus Domini appellatur. Et si enim ibi panis manet, quoniam autem verum donum, quod perhibetur, non panis sed corpus Christi est merito Sacramentum, à præstantiori denominatur.

Circa hæc verba Augustini nomine inscripta, rursus animaduertat Christianus lector, quod Aduersarij perpetuò solent, ex incertioribus scriptis testimonia proferre, verum enim est, quod hæc citata verba legantur in libro de verbis Domini secundum Euangelistam Lucam: inueniuntur tamen etiã in 4. cap. lib. 5. de Sacramentis, qui Ambrosio tribuitur. Vnde patet, vel librum vel potius vtrunque, falso nominibus Ambrosij & Augustini

Augustini

Augustini insigniri. Caterum quicquid vllibi scriptum inueniunt quod abusus ac nouis eorum abusus patrocinari videtur, id tanquam Catholicae Ecclesiae testimonium produciunt, siue per se credibile sit, siue incredibile. Ad extremum, vt Christianus Lector videat, etiam Papam ipsum & Concilium suū figmentum Transsubstantiationis creditum non necessarium iudicasse, legat sessionem postremam Concilij Florentini habiti anno 1439. & inueniet Ecclesiam Græcam, Latine fuisse coniunctam: cūque consensissent de articulis quibusdam, voluisse Papam vltius progredi, & illos adigere ad Transsubstantiationem tractandam & recipiendam, vt Latini sentiebant. Ibi reluctati Græci sunt, & ea de re agere noluerunt, neque percelli vllis argumentis potuerunt, vt de ea consensus iniretur. Iam verò Christiana concordia & consensus cum nemine iniri potest, qui vel in vno aliquo necessario fidei articulo non idem sentit. Quamobrem cūm Papa & Concilium eius, Christianam concordiam cum Orientalibus Ecclesiis inierint articulo isto prætermisso, manifestum est, Papam & vniuersum Concilium Florentinum, Articulum de Transsubstantiatione panis & vini, non necessarium iudicasse.

His omnibus satis comprobatum est, commentum de essentiali transmutatione Panis & vini in S. Cœna, ita vt Panis & vinum esse desinat, ex his dictis Antiquorum, quæ hoc loco Aduersarij adduxerunt, nullo modo concludi posse, sed potius contrarium. Temerè igitur & sine omni causa Librum Reformationis accusarunt.

Altera Pars.

De Conservando Sacramento.

C. A. P. LXVII.



He reprehendunt Librum Reformationis præcipientem, vt Pastores quoties voluerint Cœnam Domini peragere, numerent populum, quem ad communicandum admiserunt, & pro numero eorum accipiant particulas. Quicquid verò fuerit residuum, statim ipsi sumant, nec quicquam eis reseruent, reponant, aut deferant aliquò, cūm hoc nō sit verbo Dei conforme. Quodque liber ponat, Contrarium facientes, verbo Dei iudicari & perpetuò iudicari debere.

Ad hæc in malam & sinistram suspensionem protrahere conantur, id quod in Libro Reformationis tanquam causa allatum est, propter quã minister quicquid post communionem residuum est, sumere, & nihil ex eo reseruare debent, nimirum, ad auferendos & cauendos varios scrupulos, & inutiles quæstiones. Scribunt enim, Quod autem præcepti sui causam adferant talem, nimirum ad auferendos varios scrupulos, &c. vnicuique in promptu est secum diiudicare quò spectet.